

EPISTOLA PETRI EPISCOPI RAVENNENSIS AD EUTICEM PRESBY-
TERUM, UBI CONTRA EIUS ERRORES ILLI APTO EXEMPLO RESPON-
DIT

230v

DILECTISSIMO ET MERITO HONORABILI filio Euticeti, Petrus episcopus.

5 Tristis legi litteras tuas et scripta mesta merore debito cucurri, quia sicut nos
pax ecclesiarum, sacerdotum concordia, tranquillitas plebis audire facit gaudium
caeleste, ita nos affligit, deiicit, fraterna dissensio, praesertim cum talibus oriatur
ex causis. Triginta annis humane leges humanas adimunt questiones; et Christi
generatio, quae divina lege scribitur inenarrabilis, post tot saecula disputatione
10 temeraria ventilatur. Quid Origenis principiorum scrutator incurrerit, quomodo
Nestorius lapsus est disputans de naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Iesum
in cunabulis Deum mysticis muneribus confitentur, et sacerdotes, qui sit virginali
partu de spiritu sancto natus est, dolenda interrogatione discurrunt. Cum vagitum
daret Iesus in cunis, Gloria in excelsis Deo caelestis clamabat exercitus; et modo,
15 quando in nomine Iesu omne genu flectitur caelestium, terrestrium et infernorum,
originis eius quaestio commovetur. Nos, frater, cum apostolo dicimus: Etsi
novimus Iesum secundum carnem, sed nunc iam non novimus, nec possumus
iniuriose replicare, qui iubemur honorem dare, et timorem reddere, et expectare,
non discutere, quem iudicem confitemur. His omnibus respondi, frater, litteris
20 tuis.